



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Geroldus M. 7. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

Oportet inter fluctus sæculi confugere ad Mariam,
 & respectu exempli ejus cursum vitæ dirigere : quod
 qui fecerit, non jactabitur vana gloria vento, nec fran-
 getur scopulis adversorum, nec absorbebitur voragine
 voluptatum, sed prosperè ad aeternæ quietis portum ve-
 niat. S. Epiph. in Panar.

S. GEROLDUS M. 7. Octobris.

GEROLDVS à puero pietatem ducem secutus
 facile ad ipsa adyta virtutis penetravit, mul-
 tas tamen identidem pro castitate pugnas pugna-
 vit, vincendus, nisi aliis armis, quam nunc amat
 adolescentia, usus fuisset. Nimirum hodie nativâ
 in galeâ suâ tam molliter cristata frons ictus Cu-
 pidinis eludet? in thorace tam vulnerato non
 minus lacer animus tela improba repellet? tot
 vincula etsi serica, vincula tamen, fugam in hâc
 luctâ tam laudatam promovebunt scilicet? Aliter
 GEROLDVS noster pugnavit. Ille fame hostem
 obsidere, ille animum precibus, pectus cilicio,
 manum flagello obarmare, toties victor, quoties
 cæsus, & averfis vulneribus nobilior, quam ad-
 versis Romanus : quæ ille tunc potissimum non
 horruit, cum inter pias commentationes cæsum
 Ducem ob oculos Christum posuit. Has victorias
 cum per Hispanias & Italias circumtulisset, jam-
 que Palestinam etiam meditaretur, militem suum
 Superi ad triumphum evocarunt. Etenim cum
 pagum Cremonæ vicinum transiret, latrones
 duo, quò in insidias pertraherent GEROLDVM,
 litem ex composito adsimularunt. Hic nempe,
 quò digladiantes dirimeret, illicò accurrit. At illi
 jam dudum in mortem innocentis amici cadu-
 ceatorè suum multis plagis confecerunt, interque

silvas abdiderunt. Sed excivit urbem urbisque Pontificem æs campanum suâ sponte sonans, & ut Martyr facilius reperiretur, prodigiosa lumina cælum accendit. *Ex Ferrar.*

Mentem tuam supernæ patriæ amor accendat, præmia mansura sollicitent; & ad venturi Iudicis promissiones semper aspiret, atque ex temporalibus æterna mercetur. S. Gregor. Regist. l. 7. c. 14.

S. OSITHA VIRGO. 7. Octobris.

Quantum, ô parentes, educatio præstat! quantum, ô liberi, quibuscum vitam à teneris societis, interest! OSITHA regii sanguinis in Angliâ puellâ in Parthenone non profano, sed sacro educta, quantum splendoris coronæ Anglicæ conciliavit! Et verò jam tunc prodidit cælum, quam curæ illi sit juvenus probè instituta, & majoribus suis morigera. Missa OSITHA cum libro trans pontem, & turbine ab hoc dejecta, undis hausta credebatur. sed Angelorum præsidio, tertio die prodiit numquam mergenda innocentia. Sub hac in thori societatem à rege Sigero invitatur. Sed dum rex venatur feras, virgo ut Cupidinis retia effugeret, binos Episcopos advocat, & ab his velata in Christi nuptarû numerum transit. Indoluit rex; sed quòd Deo nollet rivalis esse, potestatem fecit è suo thalamo, in Christi, hoc est cœnobiû, transeundi. In hoc ne regiæ sponsæ purpura deesset, ferro à Danis pro fide cæditur. Memoratur verò funus suis non alienis pedibus ambulasse, & caput abscissum ad usque templum extulisse, atque ibi demum, cum manibus templi januam pulsasset, placidè procubuisse. Fuit etiam qui morbo ad extrema deductus OSITHAM in vota vocavit,